XVI wiek

Por. W. L. Schreiber, Manuel de l'amateur de la gravure sur bois etc., V:1, Leipzig 1910, p. 163 Nr. 3692 (na podstawie niniejszego egzemplarza). Wedle Gesamtkatalog der Wiegendrucke VI, Leipzig 1934, sp. 275, jest to wydanie XVI-towieczne.

Philologia


Poëtae Latini medii aevi.

Catho moralissimus.

(i.e. Catonis (Dionysii) Praecepta moralia ad filium).

Catho moralissimus.

1538





CVm animaduerterem ꝙ plurimos hoīes grauiter errare in via morū. succurrendū et consulendū opinioni eorū fore existimaui. maxime vt gloriose viuerent et honorē cōtingerēt. Nūc fili charissime docebo te quo pacto mores animi tui componas. Igitur precepta mea ita legito vt intelligas. Legere eñ et nō intelligere est negligere.

Itaqȝ deo supplica
Parentes ama
Cognatos cole
Datum serua
Foro te para
Magistrum metue
Coniugem ama
Cum bonis ambula
Ad consilium ne accesseris
Antequā voceris
Saluta libenter
Cede locum maiori
Quot satis est dormi
Verecundiam serue
Rem tuam custodi
Diligentiam adhibe
Pugna pro patria
Nil temere credideris
Meretricem fuge
Libros lege
Que legeris memento
Erudi libros
Patere legem quā tuipse tuleris
Ad pretorium stato
Vtere virtute
Tute consule
Troco lude
Alias fuge
Bonis bene facito
Maledictus ne esto
Nil arbitrio virium feceris
Familiam cura
Mutuum da
Cui des videto
Raro conuiua
Equum iudica
Iracundiam tempora
Miserum noli irridere
Pauca in conuiuio loquere
Parentes patienter vince
Nil mentire
Iusiurandum serua
Alienum noli concupiscere
Minorem te ne contēpseris
Vino te tempora
Minime iudica
Blandus esto
Noli irasci ab re
Neminem irriseris
Iudicio adesto
Retine existimationem
Istud stude agere qd bonū est
Libenter ferto amorem
Beneficij accepti memor esto

SI deus est animus nobis vt carmina dicunt
Hic tibi precipue sit pura mente colendus
Plus vigila semper ne somno deditus esto
Nam diuturna quies vicijs alimenta ministrat

Virtutem primam puto compescere linguam
Proximus ille deo qui scit ratione tacere
Sperne repugnando tu tibi contrarius esse
Conueniet nulli qui secundi dissidet ipse
Si vitam inspicies hominum si deniqz mores
Cum culpas alios nemo sine crimine viuit
Que nocitura tenes quāuis sint chara relinque
Vtilitas opibus preponi tempore debet
Constans et lenis vt res expostulat esto
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat
Nil temere vxori de seruis crede querenti
Sepe etenim mulier quem coniunx diligit odit
Cum moneas aliquem nec se velit ipse moneri
Si tibi sit charus noli desistere ceptis
Contra verbosos noli contendere verbis
Sermo datur cunctis animi sapientia paucis
Dilige sic alios vt sis tibi charus amicus
Si bonus esto bonis. ne te mala damna sequantur
Rumores fuge ne incipias nouus auctor haberi
Nam nulli tacuisse nocet. nocet fuisse locutum
Rem tibi promissam certam promittere noli
Rara fides ideo. quia multi mala loquuntur
Cum te aliquis laudat. iudex tuus esse memento
Plus alijs de te quā tu tibi credere noli
Officium alterius multis narrare memento
Atqz alijs cum tu benefeceris ipse sileto
Multorum cum facta senex et dicta recenses
Fac tibi succurrant iuuenes que feceris ipse
Ne cures si quis tacito sermone loquatur
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici
Cum fueris felix que sunt aduersa caueto
Non eodem cursu respondent vltima primis
Cum dubia et fragilis sit nobis vita tributa
In mortem alterius spem tu tibi ponere noli
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus
Accipito placide. plene laudare memento
Infantem nudum cum te natura creauit
Paupertatis onus patienter ferre memento

Ne timeas illam q̃ue vite est vltima finis
Qui mortem metuit quod viuit perdit idipsum
Si tibi pro meritis nemo respondet amicus
Incusare deum noli. sed te ipse coherce
Ne tibi quid desit quesitis vtere parce
Vtqȝ quod est serues semper tibi de esse putato
Quod prestare potest ne bis promiseris vlli
Ne sis ventosus dum vis bonus ipse videri
Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus
Tu quoqȝ fac simile. sic ars deluditur arte
Noli homines blando nimiū sermone probare
Fistula dulce canit volucrem dum decipit auceps
Cum tibi sint nati nec opes. tunc artibus illos
Instrue. vt possint inopem defendere vitam
Quod vile est charum quod charum vile putato
Sic tibi nec cupidus nec auarus nosceris vlli
Que culpare soles ea tu ne feceris ipse
Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum
Quod iustum est petito. vel quod videatur honestū
Nam stultum est petere. quod possit iure negari
Ignotum tibimet noli proponere notis
Cognita iudicio constant incognita casu
Cum dubia incertis versetur vita periclis
Pro lucro tibi pone diem quocunqȝ laboras
Vincere cum possis interdum cede sodali
Obsequio quoniā dulces retinentur amici
Ne dubites cum magna petas impendere parua
His etenim rebus coniungit gracia charos
Litem inferre caue cum quo tibi gratia iuncta est
Ira odium generat. concordia nutrit amorem
Seruorū culpa cum te dolor vrget in iram
Ipse tibi moderare tuis vt parcere possis
Quem superare potes interdum vince ferendo
Maxima etenim morū est semper patientia virtutis
Conserua potius que iam sunt parta labore
Cum labor est damno mortalis crescit egestas
Dapsilis interdum notis. et charus amicis
Cum fueris felix semper tibi proximus esto

Elluris si forte velis cognoscere cultus
Virgiliū legito. quod si mage nosse laboras
Herbarum vires tibi macer carmine dicet
Si romana cupis vel punica noscere bella
Lucanum queras qui martis prelia dicit
Si quid amare libet vel discere amare legendo
Nasonem petito. si autem hec tibi cura
Vt sapiens viuas. audi que discere possis
Per que semotum vicijs deducitur euum
Ergo ades. z que sit sapientia disce legendo
Si potes ignotis etiam prodesse memento
Vtilius regno est meritis acquirere amicos
Mitte archana dei celumqz inquirere quid sit
Cum sis mortalis que sunt mortalia cura
Linque metum leti. nam stultū est tempore in omni
Dum mortem metuas amittis gaudia vite
Iratus de re incerta contendere noli
Ira impedit animum ne possit cernere verum
Fac sumptum propere cum res desiderat ipsa
Dandū etenim est aliquid cum tempus postulat aut res
Quod nimiū est fugito. paruo gaudere memento
Tuta mage pupis est modico que flumine fertur
Quod pudeat socios prudens celare memento
Ne plures culpent id quod tibi displicet vni
Nolo putes prauos homines peccata lucrari
Temporibus peccata latent et tempore patent
Corporis exigui vires contemnere noli
Consilio pollet cui vim natura negauit
Quem scieris non esse parem tibi tempore cede
Victorem a victo superari sepe videmus
Aduersus notum noli contendere verbis
Lis minimis verbis interdum maxima crescit
Quid deus intendat noli perquirere sorte
Quid statuat de te. sine te deliberat ipse
Inuidiam nimio cultu vitare memento
Que si non ledit. tamen hanc sufferre molestū est
Esto forti animo cum sis damnatus inique
Nemo diu gaudet sub iniquo iudice vincens

Litis preterite noli maledicta referre
Post inimicicias iram meminisse malorũ est
Nec te collaudes. nec te culpaueris ipse
Hoc faciunt stulti. quos gloria vexat inanis
Vtere quesitis modice cum sumptus abundat
Labitur exiguo quod partum est tempore longo
Insipiens esto cum tempus postulat aut res
Stulticiam simulare loco prudentia summa est
Luxuriam fugito simul et vitare memento
Crimen auaricie. nam sunt contraria fame
Noli tu quedam referenti credere semper
Exigua his tribuenda fides. qui multa loquuntur
Que potu peccas ignoscere tu tibi noli
Nam nullum crimen vini est. sed culpa bibentis
Consilium archanum tacito committe sodali
Corporis auxiliũ medico committe fideli
Successus indignos noli ferre moleste
Indulget fortuna malis vt ledere possit
Prospice qui veniunt hos casus esse ferendos.
Nam leuius ledit quicquid preuidimus ante
Rebus in aduersis animum submittere noli
Spem retine spes vna hominẽ nec morte relinquit
Rem tibi quam noscis aptam dimittere noli
Fronte capillata post hec occasio calua
Quod sequitur specta. quod imminet ante videto
Illum imitare deum patrem. qui spectat vtrũqz
Fortius vt valeas interdum parcior esto
Pauca voluptati debentur. plura saluti
Judicium populi nunquã contempseris vnus
Ne nulli placeas dum vis contemnere multos
Sit tibi precipue quod primum est cura salutis
Tempora ne culpes cum sis tibi causa doloris
Somnia ne cures. nam mens humana quod optat
Dum vigilat sperat per somniũ cernit idipsum
HOc quicũqz velis carmen cognoscere lector
Hec precepta feres que sunt gratissima vite
Instrue preceptis animum ne discere cesses
Nã sine doctrina vita est quasi mortis ymago

Cõmoda multa feres. sin autẽ spreueris illud
Non me scriptorẽ. sed te neglexeris ipse
Cum recte viuas. ne cures verba malorũ
Arbitrij nostri non est quod quisqꝫ loquatur
Productus testis salua tamẽ ante pudorẽ
Quantũcũqꝫ potes celato crimen amici
Sermones blandos blesosqꝫ vitare memento
Simplicitas veri fama est fraus ficta loquendi.
Segniciem fugito que vite ignauia fertur
Nam cum animus languet cõsumit inercia corpus
Interpone tuis interdũ gaudia curis
Vt possis animo quẽuis sufferre laborem
Alterius dictũ aut factũ ne carpseris vnquã
Exemplo simili ne te derideat alter
Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato
Augendo serua ne sis quem fama loquatur
Cum tibi diuitie superant in fine senecte
Munificus facito viuas non parcus amicis
Vtile consiliũ dominus ne despice serui
Nullius si prodest sensum concempseris vnquã
Rebus et in censu si non est quod fuit ante
Fac viuas cõtentus eo qđ tempora prebent
Vxorem fuge ne ducas sub nomine dotis
Nec retinere velis si ceperit esse molesta
Multorũ disce exemplo que facta sequaris
Que fugias. vita est nobis aliena magistra
Quod potes id tentes operis ne pondere pressus
Succumbat labor et frustra tentata relinquas
Quod nosti factũ non recte parce silere
Ne videare malos imitari velle tacendo
Judicis auxilium sub iniquo teste rogato
Ipse etiam leges cupiunt vt iure regantur
Quod merito pateris patienter ferre memento
Cumqꝫ reus tibi sis. ipsum te iudice damna
Multa legas facito perlectis perlege multa
Nam miranda canunt. sed non credenda poete
Inter conuiuas fac sis sermone modestus
Ne dicare loquax. dum vis vrbanus haberi

Coniugis irate noli tu verba timere
Nam struit insidias lacrimis dum femina plorat
Utere quesitis. sed ne videaris abuti.
Qui sua consumunt. cum deest aliena sequuntur
Fac tibi pro penis mortem non esse timendam
Que bona si non est. finis tamen illa malorum est
Uxoris linguam si frugi est ferre memento
Nam malum est nil velle pati nec posse tacere
Dilige non egra charos pietate parentes
Ne matrem offendas dum vis bonus esse parenti
Securam quicunqz cupis deducere vitam
Nec vicijs herere animum que moribus obsunt
Hec precepta tibi semper relegenda memento
Invenies aliquid quod te vitare magistro
Despice divitias si vis animo esse beatus
Quas qui suscipiunt. mendicant semper avari
Commoda nature nullo tibi tempore deerunt
Si contentus eo fueris quod postulat usus
Cum sis incautus nec rem ratione gubernes
Noli fortunam que non est dicere cecam
Dilige denarium. sed parce dilige formam
Quam nemo sanctus nec honestus querit habere
Cum fueris locuples corpus curare memento
Eger dives habet nummos. sed non se habet ipsum
Verbera cum tuleris discens aliquando magistri
Fer patris imperium cum verbis exit in iram
Res age que prosunt. rursus vitare memento
In quibus error inest. nec spes est certa laboris
Quod donare potes gratis concede roganti
Nam recte fecisse bonis in parte lucrorum est
Quod tibi suspectum est confestim discute quid sit
Nanqz solent primo que sunt neglecta nocere
Cum te detineat veneris damnosa voluptas
Indulgere gule noli que ventris amica est
Cum tibi proponas animalia cuncta timere
Unum precipio tibi plus hominem esse timendum
Cum tibi prevalide fuerint in corpore vires
Fac sapias animo. poteris sic fortis haberi

Auxilium a notis petito si forte laboras
Nec quisquã est melior medicus quã fidus amicus
Cum sis ipse nocens. moritur cur victima pro te
Stulticia est morte alterius sperare salutem
Cum tibi vel socium vel fidum queris amicum
Non tibi fortuna est hominis. sed vita petenda
Vtere quesitis opibus. fuge nomen auari
Quid tibi diuitie prosunt si pauper abundas
Si famam seruare cupis dum viuis honestam
Fac fugias animo que sunt mala gaudia vite
Cum sapias animo. noli irridere senectam
Nam quocunqz sene puerilis sensus in illo est
Disce aliquid. nam cum subito fortuna recedit
Ars remanet. vitamqz hominis non deserit vnquã
Prospicio cuncta tacitus quod quisqz loquatur
Sermo hominũ mores celat et indicat idem
Exerce studium quãuis perceperis artem
Vt cura ingenium sic et manus adiuuat vsum
Multum venturi ne cures tempora fati
Non metuit mortem qui scit contemnere vitam
Disce sed a doctis. indoctos ipse doceto
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum
Hoc bibe quod possis si tu vis viuere sanus
Morbi causa mali nanqz est quecunqz voluptas
Laudaris quodcũqz palam quodcunqz probaris
Hoc vide ne rursus leuitatis crimine damnes
Tranquillis rebus que sunt aduersa caueto
Rursus in aduersis melius sperare memento
Discere ne cesses cura sapientia crescit
Rara datur longo prudentia temporis vsu
Parce laudato. nam quem tu sepe probaris
Vna dies qualis fuerit monstrabit amicus
Ne pudeat que nescieris te velle doceri
Scire aliquid laus est. culpa est nil discere velle
Cum venere et bacho lis est sed iuncta voluptas
Quod latum est animo complectere. sed fuge lites
Demissos animo et tacitos vitare memento
Quod flumen placidũ est. forsan latet altior vnda

Cum tibi displiceat rerum fortuna tuarum
Alterius specta. quo sis discrimine peior
Quod potes id tempta. nam litus carpere remis
Tutius est multo. quã velum tendere in altum
Contra hominem iustum prave contendere noli
Sepe etenim deus iniustas vlciscitur iras
Ereptis opibus noli merere dolendo
Sed gaude potius tibi si contingat habere
Est iactura gravis que sunt amittere damnis
Sunt quedam que ferre decet patienter amicum
Tempora longa tibi noli promittere vite
Quocũqz ingrederis sequitur mors corporis vmbram
Thure deum placa. vitulum sine crescat aratro
Ne credas placare deum dum cede letatur
Cede locum lesus fortuna cede potenti
Ledere qui potuit valebit aliquando prodesse
Cum quid peccaris castiga te ipse subinde
Vulnera dum sanas dolor est medicina doloris
Damnaris nunquã post longum tempus amicũ
Mutavit mores. sed pignora prima memento
Gratior officijs quo sis mage charior esto
Ne nomen subeas quod dicitur offici perdi
Suspectus caveas ne sis miser omnibus horis
Nam timidis et suspectis aptissima mors est
Cum servos fueris proprios mercatus in vsus
Et famulos dicas. homines esse memento
Quam primum rapienda tibi est occasio prima
Ne rursus queras que iam neglexeris ante
Morte repentina noli gaudere malorum
Felices obeunt quorum sine crimina vita est
Cum coniũx tibi sit nec res et fama laboret
Vitandum ducas inimicum nomen amici
Cum tibi contigerit studio cognoscere multa
Fac discas multa et vita nescire doceri
Miraris verbis nudis me scribere versus
Hos brevitas sensus facit coniungere binos.